



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Statu Hominis Morali In Vita Et Post Mortem

Opfermann, Paul

Moguntiae, 1769

Praeceptum divinum Adamo datum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40701

Homini primo statim, atque in Paradisum trans-
 ductus fuerat, antequam animalia fuissent ad ipsum
 adducta, vel *Eva* ex ipso formata, Dominus præ-
 ceptum dedit, quo usum certæ arboris vetuit.
 Præcepitque ei dicens: ex omni ligno Paradisi co-
 mede: de ligno autem boni & mali ne comedas;
 in quacunque enim die comederis ex eo, morte mo-
 rieris. *Gen. 2. v. 17.* Equidem LXX. legunt:
 ne comedatis, unde nonnulli arguunt, *Eva* quo-
 que jam tunc formata præceptum illud datum fuis-
 se; attamen cum textus hebraus non minùs ac Vul-
 gata singulari numero utatur; primordiale hanc
 legem soli *Adamo* primitus datam fuisse cense-
 ri debet. Cùm tamen *Adamo* tamquam Capiti propo-
 sita esset, non *Eva* duntaxat, sed toti quoque po-
 steritati simul imposita censebatur. Atque ideo
Eva verè dixit: Præcepit nobis Deus, ne comede-
 remus. *Gen. 3. v. 3.* Et sanè oportuit in ipso sta-
 tim Paradisi ingressu præceptum hoc *Adæ* imponi,
 ne alioquin priùs de arbore scientiæ sine noxa co-
 mederet. Verosimillimum quoque est facultatem
 ex omni alio Paradisi ligno comedendi factam *Ada-*
mo fuisse, simul ac in hortum ingressus fuit; er-
 go etiam exceptio generalem istam concessionem
 mox fuit comitata. Atque hanc in sententiam in-
 clinat S. AUGUSTINUS L. 8. de *Gen. ad lit. c. 17.*
 dicens, ordinatissimè ita datum fuisse præceptum,
 ut per virum ad feminam perveniret, juxta
 disciplinam Apostoli docentis feminas, ut domi vi-
 ros suos interrogent. I. ad *Cor. 14.*

Invidiâ stimulatus Satanæ cùm cerneret primos
 parentes tam copiosis instructos donis, & divinis
 muneribus exornatos, sortemque beatæ perennita-